



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 26. Archiepiscopi sententia contra Quesnellum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. XXIV. „Quod etiam præparaverit
A. C. 1703. „compilationem centum quinquaginta
 „sex opusculorum, a nata Hæresi *Janseniana* in publicum editorum, quorum
 „etiam plurima a sancta sede sunt dam-
 „nata: illaque omnia perpetraverit cum
 „magno Christi fidelium scandalo &
 „obloquio; & super aliis de jure, con-
 „suetudine, concordatis, ac alias ad
 „cognitionem nostram pertinentibus die
 „prima sequente latius deducendis,
 „quod videbitur responsurum; & cum
 „præfatus Paschasius Quesnel, ut di-
 „ctum est, sit profugus, ac latitet,
 „volumus, ut executio præsentium,
 „quæ fiet ad Portam Palatii nostri in
 „hoc oppido, ad valvas insignis Eccle-
 „siæ Collegiatæ Divorum Michaelis &
 „Gudilæ, & ad ultimum citati in hoc
 „oppido Domicilium (missa citato, si
 „fieri possit, harum, & executionis
 „vestræ copia) ejusdem sit valoris, &
 „roboris, ac si in propriam ipsius Per-
 „sonam facta foret, & pro tali eam
 „authorisamus, & quid de eo feceritis,
 „Nobis fideliter rescribatis. „

§. XXVI.

*Archiepiscopi sententia contra
 Quesnellum.*

Cum

Cum autem Quesnellus aut ipse, aut Sæc. XVII.
 ejus nomine alius minime compa- A. C. 1703.
 rerent, Mechliniensis Archiepiscopus
 adversus eum tanquam contumacem, Causa
 effractoque carcere fugitivum die de- Quesnel.
 cima Novembris Bruxellis anno sequenti pag. 513.
 hanc pronuntiavit sententiam :

„In causa Officii coram nobis mota
 „& indecisa pendente inter Procurato-
 „rem ejusdem officii Actorem ex una,
 „& P. Paschasium Quesnel Parisinum
 „Oratorii Nominis Jesu in Gallia Pres-
 „byterum, non ita pridem in Palatio
 „nostro Archiepiscopali jussu nostro se-
 „questratum, & postmodum violata se-
 „questratione per iteratas literas edi-
 „ctales cum debito intervallo publice
 „in locis consuetis affixas, & in rotula
 „reproductas respective 17. Martii, &
 „14. Aprilis hujus Anni 1704. citatum,
 „sed non comparentem, ac contuma-
 „cem ex altera partibus: visis ejusdem
 „causæ actis & actitatis, notanter
 „etiam recusatione pro parte citati con-
 „tra nos Judicem ordinarium proposita,
 „quam uti notorie frivolam rejecimus,
 „prout adhuc rejecimus, omnibusque
 „mature examinatis, & perpensis,
 „præsertim Decreto nostro 9. Junii no-
 „vissime dato, quo Actorem pro utili-
 „tate trium contumaciarum ad pro-
 „bandum admisimus, & probationibus,
 „quas

Sæc. XVII. „quas in vim ejusdem decreti produxit,
 A. C. 1703. „de plurium Ecclesiæ nostræ Metropo-
 „litanæ Dominorum Capitularium, ac
 „aliorum Sacræ Theologiæ Doctorum,
 „& Licentiatorum, ut & Jurisperito-
 „rum consilio & assensu, Christi nomine
 „invocato, & nil, nisi justitiam præ
 „oculis habentes dicimus, decerni-
 „mus, & declaramus, ex iisdem actis
 „& probationibus constare, eundem
 „citatum renuisse simpliciter subscri-
 „bere (licet admoneretur, rogaretur,
 „ac instanter ad hoc premeretur a Su-
 „perioribus suis) Formulæ doctrinali
 „præscriptæ in Comitibus generalibus
 „præfati Oratorii Gallici, idque ea
 „præcipue de causa, quod Formula
 „ista contineret damnationem Doctrinæ
 „Jansenii & Baij; quam contumaciam
 „adversus Superiores suos ne depone-
 „ret, ex Gallia profugus ab Anno 1685.
 „in Belgio variis in locis, sed potissi-
 „mum in hoc Oppido Bruxellensi sub
 „fictis nominibus latitavit, & ex late-
 „bris suis contumaciæ suæ malum ul-
 „terius communicavit, varia edendo,
 „ac publicando opuscula, quibus hæ-
 „resin Jansenianam non obscure susti-
 „nuit, idque ex continuatione auda-
 „ciæ, ut asseruerit, quod summis Pon-
 „tificibus in causa Jansenii fuisset ob-
 „reptum, & aliquid præter mentem
 „Pon-

„Pontificiam Bullæ Innocentii X. infer- Sæc. XVII.
 „tum: Simul & indigno modo scribendo A. C. 1703.
 „de summis Pontificibus, & male per-
 „stringendo S. R. E. Cardinales, Epi-
 „scopos, aliosque Ecclesiæ Ministros,
 „& Viros dignitate, ac doctrina exi-
 „mios, neque ab obtrektionibus ad-
 „versus Reges, neque a contumeliis
 „erga Regios Ministros abstinendo. In-
 „super pertinaciam suam prodidit affe-
 „rendo inter alia, Jansenismum non
 „esse nisi *Phantasma*; faciendo Notas
 „multas injurias, & contumeliosas De-
 „creto S. Congregationis indicis lato
 „22. Junii 1676. quo prohibebantur Dif-
 „sertationes ipsius ad S. Leonis opera;
 „approbando, & laudando plura opera
 „Domini Gabrielis Gerberon, quæ a
 „Sede Apostolica dein fuerunt repro-
 „bata, uti novam operum Baij editio-
 „nem & Historiam Jansenismi; susci-
 „piendo quoque causam 40. Doctorum
 „Parisiensium circa famosum Casum
 „Conscientiæ; concurrente ad impres-
 „sionem in hoc oppido factam *Historiæ*
 „*Congregationum de Auxiliis* sine ulla Ap-
 „probatione Censoris ordinarii, & non
 „expectata Censura nostra, ad quam
 „tamen per Apostillam datam in su-
 „premo Concilio Brabantiæ fuerat re-
 „missa. His accedit, quod plura e-
 „tiam scripserit, quibus Oratetii Mon-
 „tensis

Sæc. XVII. „tensis Presbyteros Oratorio Gallico
 A. C. 1703. „subjectos a subscriptione præmemo-
 „ratae formulæ averteret; & quod in-
 „ter scripta ejus inventum etiam fuerit
 „aliquod manu ejus exaratum com-
 „plectens 33. paginas in folio, quod
 „hunc præfert titulum *Inquisitio &c.* in
 „quo quidem Senatus Regius indigne
 „excipitur; sicut & Magistratus Mon-
 „tensis, seu aliqui ex illo acerbè tra-
 „ducuntur per ejus libellum manu tor-
 „toris combustum, cui titulus: *Vin-
 dicicæ pro Sacerdotibus Oratorii Montensis.*
 „Præterea asseruit citatus, non fuisse
 „a S. Sede examinatum illud, quod
 „vocant, factum Jansenii, & scripsit,
 „nondum tempus advenisse reddendi
 „justitiam Jansenio debitam, at repa-
 „randi injuriam ipsi illatam, addendo,
 „quodsi discipuli S. Augustini existi-
 „massent, quod sensus Jansenii esset
 „condemnatus per Innocentii X. Bul-
 „lam, eidem sese non submisissent:
 „quantum autem ad Bajanæ Proposi-
 „tiones, sustinuit inter illas aliquas
 „esse, quæ continent genuinam S. Au-
 „gustini doctrinam? Propositionem vero,
 „quæ spectat infidelium actiones, esse
 „præcise illam, quæ præ aliis sustineri
 „posset, quæque esset adeo in S. Au-
 „gustino, ejusque discipulis fundata,
 „ut existimandum non sit, S. Sedem
 „illam

„illam erroris damnare voluisse, sed
 „tantum prohibuisse, ne tum temporis
 „defenderetur propter rationes tunc,
 „non nunc militantes. Ulterius patet,
 „ipsum post Breve, & Decretum In-
 „nocentii XII. Anno 1694. editum per-
 „tinaciter contendisse, sensum obvium
 „formularii non requirere, ut 5. Pro-
 „positiones damnentur *in sensu ab Au-*
 „*thore intento*, edendo istum in finem,
 „ceu publicam & communem explica-
 „tionem, in qua affirmat, quod per
 „formularii subscriptionem non subscri-
 „batur condemnationi Libri Jansenii.
 „Impugnavit quoque scriptis suis De-
 „cretum Alexandri VIII. in 31. Propo-
 „sitiones latum; & dogma Immaculatæ
 „conceptionis Deiparæ Virginis nume-
 „ravit inter opiniones novas & contra-
 „rias veritati Scripturarum, inferentes-
 „que perniciosam sequelam, atque
 „damnatam sententiam de gemino ca-
 „pite Ecclesiæ satis aperte sustinuit,
 „ac decreta sacrarum Congregationum,
 „quibus libri quidam proscribentur,
 „audacter sugillavit, & redarguit. Plura
 „edidit scripta anonyma, & Authorem,
 „typographum, ac locum impressionis
 „mentientia, eaque imprimi, reim-
 „primi, & distrahi curavit, & inter
 „illa etiam quædam a Sede Apostolica
 „publicis Decretis antea condemnata.
 „Ora-

Sæc. XVII.
 A. C. 1703.

Sæc. XVII. „Oratorium domesticum erexit propria
 A.C. 1703. „auctoritate pro libitu in eo sacrum
 „dicens; cum variis personis noxium
 „literarum commercium fovit sub fictis
 „nominibus. Denique per effrænem
 „suam scribendi licentiam magnas in
 „hoc Belgio ac in nostra Diæcesi turbas
 „excitavit & dissensiones, & non raro
 „Clerum & populum adversus proprios
 „suos commovit Episcopos, ac præci-
 „pue scripto quodam insolentiis pleno
 „Clerum Batavicum contra sanctissimi
 „D. N. Clementis XI. decreta seditiose
 „incitavit: Quibus omnibus considera-
 „tis, declaramus citatum, uti de Jan-
 „senismo, & Bajanismo, aliisque ex-
 „cessibus supra memoratis convictum,
 „incidisse in excommunicationem, a-
 „liasque pænas per Bullas Apostolicas
 „in hujusmodi delinquentes latas, mo-
 „nentes omnes & singulos Christi fide-
 „les, ut ipsum uti talem habeant, &
 „evitent; injungentes citato, ut se re-
 „cipiat ad Monasterium aliquod in Pa-
 „tria catholica situm, ibidemque per
 „integrum ab adventu suo mensem
 „exercitia spiritualia obeat, ac dein
 „in spiritu pœnitentiæ ibidem seque-
 „stratus maneat, legendo singulis die-
 „bus septem Psalmos Pœnitentiales,
 „ac jejunando diebus veneris in aqua
 „tristitiæ & pane doloris, donec summo

„Pon-

„Pontifici quoad doctrinam suam fece-
 „rit fatis, ac absolutionem ab excom-
 „municatione obtinuerit. Insuper in-
 „hibemus ei, ne ad Diæcesin nostram
 „unquam revertatur, minus in ea-
 „dem aliquid scribat, edat, aut im-
 „primi faciat sine prævia nostra licen-
 „tia, vel similes excessus committat
 „sub pœna, quod perpetuis carceribus
 „mancipabitur, aliisque pœnis gravio-
 „ribus in jure contra hujusmodi trans-
 „gressores statutis punietur, condem-
 „nantes ipsum in expensas sequestra-
 „tionis, & contumaciæ ad nostram
 „taxam. Ita in scriptis sententiamus.„

Sæc. XVII.
 A. C. 1703.

Verum adversus hanc sententiam
 Quesnellus editis duobus libellis bilem
 suam uberrime effudit.

§. XXVII.

*Quesnelli reflexiones morales in No-
 vum Testamentum ab Aptensi Epi-
 scopo damnatae.*

Cum in Galliis & præcipue in Aptensi
 Diæcesi Gallica novi Testamenti e-
 ditio unacum moralibus Quesnelli re-
 flexionibus passim omnium manibus
 tereretur, non pauci de conservanda
 doctrinæ ac fidei puritate solliciti apud
 Josephum Ignatium de Foresta a Co-
 longue Aptensem Episcopum graves
Hist. Eccles. Tom. LXVII. G „de-